THESIS II.
HISTORICO-THEOLOGICA
LOVANIENSIUM DOCTRINAM
VINDICANS CONTRA THESES NUPERRIME EDITAS

QUAM

PRÆSIDE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

JOANNE LIBERTO HENNEBEL

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE

DEFENDET

ARNOLDUS LAMBERTUS ZOONS Falco-burgenſis

In Collegio Baii die 8. Junii anno 1684.

LOVANII,
Typis GUILIELMI STRYCKWANT ſub aurea Lampade.

§. I.

Quomodò Moliniſtæ ſua in Belgium dogmata invexerint?

DEſſent viri pii facilem quorumdam dogmata noſtra ſibi contraria cenſurandi licentiam, eruditis ridentibus imbellem Cenſuras tam præcipites probandi penuriam. Eas refutandi locus hic fuiſſet, niſi, propoſito nuper clariſſimè quæſtionis ſtatu, oblatam de rei nodo diſputandi occaſionem Adverſarii ignavâ tergiverſatione declinaſſent. Scilicet malunt tricis variis omnia obvolvere, dogmata hujus Facultatis odioſè proponere, ſingulis verborum noſtrorum apicibus inſidiari, timentes interim ne doctrinas ipſi noſtras, genuinis illarum indicatis fontibus, clariùs exprimamus, ne eodem obtutu luculente nimis Lectoribus appareat, Molinæ dogmata, repugnantibus penè piis omnibus, in Belgium fuiſſe invecta; ſatis enim intelligunt quæ indè doctrinæ noſtræ gloria & dignitas, quæ ſuæ, apud Belgas præſertim, offenſio accedat. Si quid de potentia ad bene agendum ſine gratia; de libertate amoris beatifici verbis propriis expreſſiſſem, plura folia ſæpius mihi fuiſſent oppoſita, nec eandem ſæpius cramben recoquere vel languidâ & Theologiæ tyronibus notâ verborum æquivocatione ludere piguiſſet; verum quia Facultatis Lovanienſis doctrinam ipſius Facultatis verbis clariſſimè expreſſam, ejuſdem iteratis decretis ſæpius confirmatam præſtantiſſimorum quorumvis Thomiſtarum Cenſuris roboravi, vox faucibus hæſit, quia nullus cavillandi, nullus tergiverſandi locus fuit. Vulpem captam mediocriter quoque eruditi viderunt. Interim alter Hercules videri vult, & ſi, Deo placet, ſupra Herculem aliquid. Sed Herculeum non eſt controverſiæ caput declinare, poſtquam toties dictum eſt pro Apologia frivolum eſſe Lovanienſis cum Thomiſtica Schola jactare concordiam. Quam ſit frivolum, Bacherii, Torres, Lemos, Alvarez, Baronii, Univerſitatum Duacenſis & Tholoſanæ teſtimonia, ad quæ nunquam reſponſum eſt, luculente demonſtranr.

Quia tamen in Theſi noſtra quædam neceſſario repetere coëgerunt Adverſarii contrita ſæpius argumenta recantantes, maluit auctor, quem impugno, ad priores Theſes me remittere (in quibus nihil de principali quæſtione vel explicatum vel ſolutum reperio) quam punctum difficultatis de Lovanienſium cum Thomiſtis concordia præſtantiſſimorum Thomiſtarum encomiis approbata aperto marte attingere.

Illum equidem ſequar tantiſper cum ita velit, rediturus brevi ad controverſiæ caput, poſtquam illi oſtendero repetita merito illa fuiſſe & confirmata, quibus ne probabiliter quidem unquam ſatisfecit; è quibus id quoque palam fiet, qua ratione huic Belgio ſua olim dogmata primi Moliniſtæ propinârint.

Objecerat illis Collega noſter ex imagine primi ſæculi, quod *Mechlinienſis & Cameracenſis Metropolitæ Synodum paraſſent Epiſcoporum, qui dogmata PP. Societatis, à duabus Facultatibus damnata diſcuterent, eademque toto Belgio proſcriberent.* Contrà Auctor appendicis 2. Theſi 5. conqueritur reticeri ea, quæ exhibent rei hujus cauſam & originem. Supplendum ergo monet ex imagine primi ſæculi, *quod cauſa hujus tempeſtatis fuit primi nominis & authoritatis Doctor Theologus, qui varia doctrinæ ſuæ capita non ſanam fidem redolentia ſupremo Sedis Apoſtolicæ Imperio ſolemniter ejurare compulſus coram Franciſco Toleto homine*

Societatis Apoſtolico in eam rem Legato , & paulò poſt S. R. E. Cardinale , quaſi honoris ſui vindicias acturus , quam ipſe notam contraxerat , eandem viſus eſt immerenti Leſſio inurere voluiſſe, & conantem illum Doctiſſimus quiſque Facultatis Theologicæ tanquam communem injuriam ulturus adjuvabat. Quàm malè concinnata ſit hæc fabula oſtendi clariſsimè §. 4. Theſis Hiſtorico-Theologicæ , neque hic pigebit repetere illa , quæ nunquam ſoluta fuerunt.

Conſtat inprimis Cenſuram Lovanienſem confirmari Duacenſi , ad quam tamen cauſa Baii nihil pertinebat , maximè anno 1648. quo declaravit manifeſto Decreto à Lovanienſibus laudato juxta §. 1. Theſis Hiſtor. ſe majorum inhærere doctrinæ. Extat illud poſt juſtificationem Cenſuræ Lovanienſis. In Theſibus Theologicis de Cenſura Lovanienſi Theſi 4. dixerat Auctor noſter non vacare ſibi inquirere , quo ſcripto Duacenſis Facultas Cenſuram majorum ſuorum iterato judicio comprobârit. Intereà verò plus ſatis temporis fluxit , quo penitius illud inveſtigari potuit , ſi tamen tempore opus eſt ut res tritiſſima reſciatur. Cenſuræ quoque hujus Encomiaſten Thomam Lemos quis Baio , qui neque Cenſuræ neque juſtificationis præcipuus Auctor fuit , plus æquo affectum dixerit ? Quis non videt gratis confingi in Leſſio primùm hæc dogmata diſplicere cœpiſſe , cum id apertè neget Eſtius teſtis oculatus ? Quamquam negari non poſſit diſplicuiſſe illud vel maximè quod Pater Leſſius P. Bellarmini ſui in eadem Cathedra Deceſſoris ſecuriora dogmata deſereret. Denique tam ridiculum prima fronte videtur, Baium potuiſſe ſibi conciliare Theologos omnes Lovanienſes & Duacenſes tam anni 1588. quam 1648. & 1649. item Epiſcopos omnes Belgii , quam Bannez potuiſſe Doctores Salmanticenſes & Hiſpaniæ Epiſcopos, item Lemos potuiſſe Conſultores Romanos ineſcare. Miror Herculem noſtrum ſuam nunquam exeruiſſe clavam , ut hæc confingeret. Debiliora ſunt, quæ in eadem Theſi Collegæ noſtro improperat hic Auctor. *Cur tacet* , inquit, *cauſam noſtram contra injuſtos Cenſores egiſſe Ioannem Strienum Epiſcopum Middelburgenſem , Levinum Torrentium Antverpienſem , Ex. D. Stapletonium qui Doctores hujus & Duacenæ Academiæ fuère ?* Certè ſatis mirari non poſſum injuſtos dici Cenſores illos , quorum judicium , his paucis exceptis , cæteri ferè omnes probabant ; neque enim dubitari poteſt , quin Auctor imaginis primi ſæculi in extrema cauſæ , quam tuendam ſuſceperat , neceſſitate congeſſerit omnia , quæ inuſtam ſociis ſuis notam eluere poterant ; alios tamen non reperit , quam Theologos duos , Epiſcopum nempè Middelburgenſem & Stapletonium. Levinus Torrentius poſt editam Cenſuram Lovanienſem Cathedræ Antverpienſi præfectus erat Juriſconſultus. Epiſcopum exterum unicum omnibus duarum Provinciarum doctiſſimis Præſulibus , qui cum Eccleſiæ ſuæ Theologis Cenſuræ Lovanienſi ſubſcripsêre , præferre vel comparare & ridiculum & iniquum eſt. Unicum quoque Doctorem duabus opponi integris Facultatibus quis ferat ? Maximè ſi attendatur quid de eo ſenſerit Vir Doctiſſimus nec Baio addictus Thomas Lemos lib. 4. part. 2. tr. 4. num. 619. *Cavendus eſt* , inquit , *Stapletonus ſicut S. Patri Auguſtino contradicens, & Pelagianis favens. Vt enim evitaret Calviniſmum incidit magna ex parte in Pelagianiſmum neſciens mediam viam inter utrumque tenere.* En virum qui non tantùm duabus Facultatibus , ſed univerſis quoque Religioſis opponatur Ordinibus , quorum nullus in tanta neceſſitate Societati ſuppetias tuliſſe legitur. Concedendum eſt proinde Religioſos omnes Ordines , qui in memoriali Hiſpanico tam graviter de Janſeniſmo accuſantur, paria tunc cum hac Facultate ſenſiſſe ; ne Fratribus quidem Minoribus exceptis , qui in præfato memoriali non accuſantur.

Certè omnium ferè primus Facultatis Cenſuram probavit Franciſcus Wallon-Capellius Namurcenſis Epiſcopus ex Ordine Minorum , cujus litteræ Facultatis Arcæ incluſæ fuerunt, quia, inquiunt acta noſtra, *probabat judicium Facultatis & declarabat aſſertiones Societatis pugnare non tantum cum principiis Theologiæ , ſed etiam cum B. Auguſtino & veteribus, & cum periculo eſſe conjunctas.* In Hiſpania quoque Molinæ iidem ſeſe Patres oppoſuerunt , inter

inter quos eminuit, teſte Lemos, Joannes Rada, qui deinde Ordinis ſui Procurator Generalis factus Conſultoris locum meruit in congregationibus de auxiliis cum pluribus aliis ejuſdem Ordinis Patribus, Reſta de Jalleacotio Epiſcopo Geruntino, Santuccio de Monte Politiano Epiſcopo S. Agathæ & Palentiero. Quæ fuerit Conſultorum illorum ſententia collige ex Theſi noſtra §. 4. verſus finem. Certum erat Thomæ Lemo', qui in Congregationibus de auxiliis quibus interfuit, facillimè perſpexit, quæ ſingulorum Ordinum eſſet ſententia, certum erat tunc ipſis quoque Moliniſtis, quod Scotus Scotique Diſcipuli tam veteres quàm recentiores prævium Dei influxum agentem in humanas voluntates ut agant, contra Molinam tuerentur atque defenderent, uno excepto Corduba, qui expreſsè fatetur ſe in hac parte Scotum non ſequi; adeò ut ſatis mirari non poſſimus tam degenerem Scotiſtarum quorumdam cum Moliniſtis concordiam; quorum Magiſtri Majoreſq; tam ſibi capitaliter adverſantur.

Illud quoque notandum eſt, quod ſi dogmata Leſſianis affinia tunc tradidiſſent FF. Minores, longè facilius ea notaſſet, ſi cauſam Baii tuendam ſuſceperat Facultas Theologica; quia nunquam à Patribus Societatis ſed à Minoribus articulos proſcriptos Romam fuiſſe delatos compertum eſt. Et quanquam Bullam Pontificiam promulgaverit Lovanii Toletus, ſemper tamen Facultati optimè fuit affectus. Rem mihi præſtabit acceptam, qui manifeſtè probaverit dogmata Molinæ, Suarez, vel Leſſii placuiſſe Toleto. Fallor ego ſi in doctrinam hujus Scholæ vel Thomiſticæ non fuit propenſior.

Inter integerrimos primæ notæ Religioſos cauſam Cenſuræ tam Lovanienſis quam Duacenſis fortiſſimè tutatus eſt Atrebatenſis Epiſcopus, olim Abbas S. Giſleni Ord. S. Benedicti; neque hactenus reperi vel unum alicujus notæ Religioſum Theologiæ Profeſſorem, qui extra Societatis Scholas illo tempore Leſſium propugnârit.

Ut verbo abſolvam, Vetera monumenta ab ipſis Societatis Patribus conſcripta apertè teſtantur quod per totam Patriam, apud ſummos & infimos, apud Eccleſiaſticos & ſæculares atque etiam apud milites peſſimè eorum doctrina audiret. Si glorientur cauſam hanc fuiſſe evocatam ad Sedem Apoſtolicam tam ex Belgio quàm ex Hiſpania, facilè eos compeſcemus.

Certiſſimum ergo ſit, Molinæ dogmata in Belgium fuiſſe invecta repugnantibus Belgii Epiſcopis, Belgii Facultatibus, omnibus Religioſis Ordinibus, omnibus denique tum Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, ſi pauciſſimos excipias. Rem Hercule dignam præſtiterit, qui ad hæc ſolidè reſponderit, proditurus cauſæ ſuæ inopiam ſi diſſimulàverit, ut ſolet in illis, quæ ſolvere neſcit.

§. 2.

Lovanienſium judicium de Thomiſtarum doctrina ipſis Thomiſtarum verbis expreſſa.

NOn facilè patiar parergis quibuſcumq; abduci me à puncto difficultatis quam tractandam ſuſcepi de concordia Scholæ Lovanienſis cum Thomiſtica (licet eam Auctor Theſis noviſſimæ declinare videatur) niſi rem totam dilucidè expoſitam videro & exhauſtam. Stimulat me Auctoris, cum quo diſputo, aperta confeſſio qui de doctrina Thomiſtica hæc incunctanter tradit Appendicis 3. Theſis 2. *Scimus libenterque fatemur ſuſtineri poſſe abſque omni nota gratiam phyſicè prædeterminantem, quam tenent Thomiſtæ non rejicientes gratiam merè ſufficientem. Immunis eſt gratia per ſe efficax ab omni Cenſura, ita jubente Pontifice.* Quam apertam confeſſionem iterum Theſibus noviſſimis confirmavit. Hinc ſicut aliàs protuli Lovanienſium doctrinam ipſis Facultatis Theologicæ verbis expreſſam, ita nunc Thomiſtarum doctrinam libet exprimere non conquiſitis hinc inde ſententiarum laciniis adulteratam & fortè ex Auctoribus quibuſdam depromptam, quos Schola Thomiſtica hodie non recipit, ſed ex ipſo Thomiſtarum Principe Thoma Lemos, cujus doctrinam de gratia per ſe efficaci ab ævo amplecti Dominicanorum Ordinem ejuſdem Ordinis Patres

palam

palam profeſſi ſunt tam in libello ſupplici , quam in memoriali Sanctitati ſuæ nuper exhibitis. Sic ergò gratiam per ſe efficacem ille definit. lib. 4. part. 2, tract. 4.cap.12.n.144. *Eſt auxilium tale , quod ut venit à Deo , independenter ab humana & media præſcientia , veras tribuit animæ vires , vereque efficit vi & energiâ ſuâ ut arbitrium infallibiliter eidem præſtet aſſenſum , ita ut per talem efficaciam gratiæ ſuæ potenter atque ſuaviter ſibi ſubdat arbitrium , & activè propriè & verè efficienter ſibi faciat conſentire. Hæc eſt propria acceptio hujus vocis,efficacia , dicta de auxilio divinæ gratiæ.* Et iterum num. 192. *Deus efficaci ſuâ gratiâ movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos non ſolum interius ſuadendo , invitando , aut aliter tantùm moraliter attrahendo , ſed etiam verè & activè propriè efficiendo , ſalvâ tamen humanâ libertate , taliſque efficax gratia convenienter phyſicè prædeterminare dicitur. Veritas iſta brevi compendio univerſam hanc materiam & primam ac fundamentalem ejus quæſtionem & quoad rem & quoad vocem clariſſimè comprehendit.* En Thomiſtarum de gratia per ſe efficaci doctrinam adeò clarè expreſſam , ut ipſo Thomiſtarum Principe teſte , clariùs exprimi non poſſit, certumque ſit cum Thomiſtis ſentire, qui huic doctrinæ ſubſcripſerit. Quid ergò cenſet de illa Facultas Theologica Lovanienſis ? Judicium noſtrum prævenit idem Author , qui hujus doctrinæ ſuæ aſſertores recenſens ita ſcribit ejuſdem tract. n. 599. *Florentiſſima Academiæ pari conſenſu hanc prævenientis gratiæ divinam efficaciam tradiderunt , ut antiquiſſima & doctiſſima illa Lovanienſis , Eruditiſſima Duacenſis , Sapientiſſima Pariſienſis, & Inſignis Salmanticenſis.* Rectiſſimè id ab illo dictum ego non dubito ; ideoque cum præſtantiſſimis illis Academiis voluntates noſtras gratia per ſe efficaci præmoveri ad bonum liberrimè profiteor.

At Thomiſtæ præter hanc efficacem gratiam admittunt aliam merè ſufficientem? non repetiſſet hæc auctor noſter , ſi expendiſſet ea , quæ diximus §. 5. Theſis Hiſtor. certiſſimum enim eſt nec hac in parte nobis adverſari Thomiſtas , qui per gratiam merè ſufficientem , non intelligunt Moliniſticam , ſed gratiam excitantem tum ex parte intellectûs tum voluntatis , quæ nunquam omni fruſtratur effectu , quia poſitâ hâc excitatione ſive excitante gratia tam in intellectu quam voluntate , ſemper habet anima imperfectos quoſdam actus, quibus ad perfectiores diſponitur, invitatur & allicitur. Hæc excitans ſeu ſufficiens gratia vires quaſdam tribuit voluntati , ut per illam diſpoſita ac excitata Deo efficaciter moventi liberè conſentire poſſit , neque tamen voluntas hâc ſufficienti gratiâ præparata illum ſemper producit effectum ad quem per illam diſponitur , invitatur, & allicitur ideoque in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ (huic nempè ſufficienti & excitanti) ſæpè reſiſti unanimi conſenſu docent Thomiſtæ.

Hanc de ſufficienti gratia Thomiſtarum doctrinam paucis expreſſit Lemos dum dixit lib. 4. part. 2. cap. 7. n. 103. *Communis eſt ,* inquit , *& vera Thomiſtarum ſententia quod omne auxilium ſufficiens comparatione unius actûs ſemper eſt efficax ratione alterius ad quem efficiendum ex abſoluto & efficaci decreto voluntatis divinæ ordinatur.* Et num. 105. *Quod homo habens ſufficiens auxilium ſemper eum effectu habet prædictos imperfectos actus , manifeſtum eſt , quia auxilium ſufficiens eſt gratia excitans tum ex parte intellectûs tum voluntatis ; ſed poſitâ excitatione tam in intellectu quam in voluntate ſemper eum effectu homo habet illos indeliberatos actus , quibus anima excitatur.*

Obvia ſunt ejuſdem auctoris loca , quibus huic ſufficienti gratiæ reſiſti eo modo , quem expoſuimus profitetur incunctanter. Hinc rectiſſimè intulerunt PP. Prædicatores in memoriali ſuæ ſanctitati exhibito §. 19. *Ecce contrarium damnatæ propoſitionis affirmat P. Lemos ; quippe numquam interiori gratiæ reſiſtere, & aliquando interiori gratiæ* (nempè ſufficienti Thomiſticè) *reſiſtere verè contradictoria ſunt.*

Certum ergo ſit ac indubitatum , quod voluntates noſtras gratia per ſe efficaci præmoveri cum P. Lemos agnoſcamus ; quod gratiam merè ſufficientem Thomiſticam

cam non rejiciamus, quanquam malimus illam vocare excitantem. Illi quoque ſufficienti gratiæ non dubitamus reſiſti omni eo modo, quem agnoſcunt Thomiſtæ, & nos ſuprà explicavimus.

Nemo proindè doctrinæ noſtræ conſtitutiones Apoſtolicas deinceps opponat, illa enim, utpotè Thomiſticæ omninò conformis, eſt immunis ab omni cenſura, ita jubente Pontifice, ut ſupra vidimus.

Diſſipandæ ſuperſunt tricæ quædam quibus nos Auctor noſter illaqueare conatur. Mirum eſt quàm ſæpè ad nauſeam uſque repetierit, non aliam nos reſiſtentiam admittere, quam ſimilem illi quâ corpus grave reſiſtit impetui. Hic notari velim, quod aliàs monui, quomodo ſequelas ineptiſſimas, quas è dogmatibus noſtris ſine judicio elicit, nobis liberrimè affingat, ut imperitis illudat. Familiari voluerat ſimilitudine demonſtrare Collega noſter, quomodo intelligi poſſit, quod & gratia ſemper aliquem ſortiatur effectum, & tamen ei reſiſtatur; dixeratque non magis id mirum debere videri, quam juxta quorundam Philoſophorum ſententiam impetum non dari ſine motu, licet juxta eoſdem certum ſit impetui ſæpè reſiſti. Hinc intulit Auctor noſter, quod non aliam admitteret reſiſtentiam, quam ſimilem illi, quâ corpus grave reſiſtit impetui. Riſit olim in ſimili caſu tam ineptam conſequentiam Thomas Lemos, cum enim quidam liberum arbitrium divinâ gratiâ præmotum baculo moto rudi ſimilitudine comparaſſet, intulit Moliniſta quod ergò ſe merè paſſivè haberet. Pari jure, inquit Lemos, id ipſum ex Iſaia poſſet inferri, qui cap. 14. liberum arbitrium virgæ in manu Dei comparat. Aliam planè reſiſtentiam nos admittere ſupradicta abunde teſtantur.

Tam clarè doctrinam noſtram de gratia per ſe efficaci nobis neceſſaria ab bonum Thomiſticæ probavimus eſſe conformem, ut non poſſit ovum ovo videri ſimilius; an ergò ab omni nos Cenſura abſolvet Adverſarius? nullo modo, quia nempè doctrina hujus Facultatis de gratia primi ſtatûs differt à doctrina Thomiſtica. Addere poterat quod neque circa modum concurrendi ad materiale peccati, item ad actus naturales per omnia conveniat.

Optimè ſanè intellexerunt, Lemos, Bacherius, Torres aliique qui juſtificationem Cenſuræ Lovanienſis tam præclarè propugnarunt, poſſe ſalvâ utriuſque ſcholæ concordiâ diſceptari de gratia primi ſtatûs, dummodo unanimi conſenſu gratiæ per ſe efficacis neceſſitas pro ſtatu naturæ lapſæ vindicetur. Thomiſtæ enim prædeterminationem generalem ad materiale peccati, ad actus naturales, ad actus bonos in ſtatu innocentiæ tantùm defendunt ut probabilem ſecundum rationem naturalem, & non ut neceſſariò cum fide connexam: gratiam verò per ſe efficacem ita naturæ lapſæ neceſſariam eſſe aſſerunt, ut hanc velint concluſionem eſſe Theologicam ab Auguſtino & Aquinate clariſſimè traditam, poſt articulos fidei omni exceptione majorem, & veluti ultima diſpoſitione definibilem. Pro hac tuenda omnes ingenii ſui nervos intendunt; eoſque præcipuè Doctores colunt & magnifaciunt, qui in hoc articulo ſcholæ Thomiſticæ doctrinam amplectuntur. Hinc neque indignatus eſt Lemos, circa gratiam primi ſtatûs ſibi Facultatis hujus repugnare doctrinam, quam n. 54. juſtificationis Cenſuræ ſic noſtri expreſſêre majores: *Quamvis Angelis ſanctis & homini, ut primum conditus eſt, non potuerit perſeverantiæ meritum abſque gratiæ eſſe auxilio, non illo tamen opus fuit auxilio, quo fieret ut in finem uſque perſeverarent; ſed eis cum adeſſet per gratiam ut perſeverare poſſent ſi vellent, relictum eſt in eorum arbitrio ut vellent ac perſeverarent, uſque adeò ut inter perſeverantes Angelos & non perſeverantes diſcrimen non ipſa fecerit gratia, quæ eſſet utriſque communis, ſed liberum tantùm arbitrium.* Ex qua doctrina cum ſit conſequens S. Angelos ex prævíſis meritis fuiſſe prædeſtinatos, hanc quoque ſequelam admittunt n. 55. *ideò igitur*, inquiunt, *ſanctis illis Angelis præordinata vita fuit ex perſeverantia præſcientia, quia reverà quoad ſui complementum non prædeſtinata ſed præſcita dumtaxat fuit eorum perſeverantia.* Et iterum n. 70. *prædeſtinationem primi hominis ex prævíſis meritis futuram*

ram libenter agnoſcimus. Reveritus eſt Lemos, nec ullâ unquam Cenſurâ notavit hanc doctrinam, quam Auguſtino vidit ab ea ſchola adſcribi, quam tanquam in Auguſtino fundatiſſimam ſæpiſſimè prædicavit. Neque ſatis mirari poſſumus diſcrimen illud inter prædeſtinationem & gratiam hominis integri & lapſi tam ſæpè ab auctore noſtro repudiari ut ſpurium, quod tanquam legitimam Auguſtini doctrinam in ſuis dictatis agnovêre primi Molinæ vindices, quorum hæc verba referuntur p. 254. juſtif. Cenſuræ: *Auguſtinus putat homines non conſequi beatitudinem niſi ex efficaci electione quæ præcedat omnem præviſionem meritorum, Angelos verò aſſequi illam ex prædinatione qua ſit poſterior præviſione meritorum.* Quis ergò credat doctrinam illam illudque diſcrimen quod tam majores hujus Auctoris quam noſtri pari conſenſu, ſed diſpari reverentia Auguſtino tribuerunt, Pontificiis conſtitutionibus eſſe proſcriptum? Illud tamen eſt, quod contendit Auctor cum quo diſputamus. In extremis ſcilicet extrema, quamvis parum veriſimilia, tentanda ſunt. Succeſſum ſpectare libet.

Negare non poteſt, quin Facultas Theologica Lovanienſis cum Thomiſtis apertè concedat hominem lapſum, ſalvâ ejus libertate, efficaci per ſe gratiâ præmoveri ad bonum. Neq; deinceps negaturum eum arbitramur, quod eadem Facultas gratiam merè ſufficientem Thomiſticam admittat, quamvis illam excitantem dicere malit. Eidem quoque reſiſti omni eo modo, quem Thomiſtæ concedunt, ſuprà confeſſi ſumus, ubi eodem plane ſenſu, quo illi in memoriali ſuæ Sanctitati nuper exhibito, & paſſim in libris & Theſibus, reprobavimus hunc articulum: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.* Quis crediſſet poſt confeſſionem tam apertam futurum aliquem Sedis Apoſtolicæ mandatis tam parùm deferentem, qui conſtitutiones Apoſtolicas objicere nobis pergeret, cum hanc Thomiſtarum doctrinam, quæ & noſtra eſt, ab omni Cenſura immunem eſſe velit Romanus Pontifex? Illas tamen opponere pergit auctor Theſis nuperrimæ, ex Cenſura Innoc. X. & Alex. VII. conficiens renuntiandum eſſe ſpurio diſcrimini, ut ait, quod inter gratiam ac prædeſtinationem hominis lapſi & integri hæc Facultas admittit, licet ejus noſtriq; Majores hanc Aug. doctrinam adſcripſerint. Si quæras, an concedendum quoque erit, hominem phyſicè præmoveri ad materiale peccati, ad actus naturaliter bonos? concedere debet ille pari ratione. At in propoſitione damnata ne gry quidem reperies de gratia primi ſtatûs, de concurſu prævio ad materiale peccati, neque Thomiſtarum ullus tam rudis umquam fuit, qui ex hac Cenſura prædeterminationis phyſicæ neceſſitatem, in ſtatu naturæ integræ ſtabilire conaretur. Parum refert; ſic equidem credi vult ille, adeò ut cum veteris cujuſdam Philoſophi diſcipulis dicere oporteat, *Magiſter dicit*, id eſt Auctor ille ſic autoritate ſua illam exponit, neque enim alium tam paradoxæ expoſitionis Auctorem reperio. Legi varios tam Moliniſtas quam Thomiſtas, damnatarum propoſitionum ſenſus varios ex iiſdem collectos retuli in Theſi præcedenti, neque tamen ullum hactenus reperi, qui ex hac damnata propoſitione, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, contra ipſum verborum tenorem conficeret, quod, qui & gratiam merè ſufficientem Thomiſticè admittunt, & ei reſiſti in ſtatu naturæ lapſæ Catholicè cùm iiſdem confitentur, & denique gratiâ per ſe efficaci hominis lapſi voluntatem præmoveri ad bonum incunctanter affirmant, hæretici tamen cenſendi ſint, & hujus Cenſuræ prævaricatores, merè ideò quod ſimilem prædeterminantem gratiam ad innocentiæ ſtatum non extendant. Sanè ignotus nobis hactenus fuit ſenſus ille, & penè ariolum eſſe oporteret, qui ex damnatis propoſitionibus ſenſus tam parergos eliceret. Scire velim quis conſultorum, qui hic in cauſa laboravere, ſenſum illum ab omni ſenſu humano remotiſſimum ſibi vindicaverit, an Pontifex ipſe ſic illum declaraverit. Quantum aliàs ſit nefas, ſenſus ejuſmodi contra Auctorum torrentem & ipſarum propoſitionum tenorem comminiſci, & de hæreſi accuſare omnes, qui tam ſingulari expoſitioni non ſubſcribunt, facilè quilibet intelligit. Semper video magis magiſque impleri, quod jam pridem notavi ac nuperrimè monui, tam varios ſenſus damnatis illis articulis adſcribi,

quàm

quam exagitare intendunt varios qui Moliniſmum gravius quàm illis lubet, oppugnant. Memoriâ nondum excidit in hanc nuper invidiam præter omnem veri ſpeciem pari ex cauſa Thomam Lemos fuiſſe vocatum,adeò ut mirandum non ſit eidem quoque calumniæ doctrinam hujus ſubjacere Facultatis, licet illa non ſemel & publicis programmatis & privatis litteris circa conſtitutiones Innocentii X.& Alexandri VII.ſolemniſſimas ediderit fidei profeſſiones, quibus Apoſtolicæ Sedi pleniſſimè fuit ſatisfactum. Injurium ergo eſt & Apoſtolicæ Sedi & illi Facultati de fide illorum dubitari, novamque ab iis quaſi de fide ſuſpectis fidei profeſſionem exigi, qui ne in apice quidem à Majorum ſuorum placitis in materia de gratia tot præſtantiſſimorum virorum cenſurâ confirmatis receſſiſſe probantur. Et quid profuerit coram iis ejuſmodi fidei profeſſionem edere,qui pro nutu ſuo tam ſæpè novos articulorum ſenſus procudunt? Parati interim ſemper erimus præſtitam olim fidem renovare non tantum coram ſua Sanctitate,quod jam non ſemel fecimus,ſed etiam coram quocumque legitimo Judice. Quam non Apoſtolicæ Sedi, ſed ſibi, Molinæ, temporique ſerviant Adverſarii noſtri, vidimus non ita pridem,dum coram frequentiſſimo auditorum choro juſtiſſimè latam in librum ſuum ab Apoſtolica Sede Cenſuram Janſenianæ factioni primarius eorum Theologus impunè adſcripſit;cujus tamen cenſuræ æquitatem ſubſecutum Innoc.XI.in 65.Propoſitiones Decretum luculentè probavit.En devotos Apoſtolicæ Sedis filios, en acerrimos illius vindices, coram quibus, quoties eis libuerit, fidei profeſſionem hæc Facultas renovare debebit.

§. 3.

Aliæ ejuſdem Auctoris tricæ circa libertatem amoris beatifici deteguntur.

Vidimus hactenus quas latebras quærat, quomodo æquivocâ ſufficientis auxilii ſignificatione ludat, quam ineptas conſequentias è dogmatibus noſtris eliciat, quam heteroclitos damnatarum propoſitionum ſenſus adinveniat. Hujus loci erit declarare ſibi ſemper ſimilem ejuſdem Auctoris genium, qui agens de libertate amoris beatifici, miro artificio, omnia iterum miſcere, omnia conatur confundere.

Dixerat Collega noſter cum S. Bonaventura, cujus verba refero §. 6. Theſ. hiſt. *Arbitrium dici liberum non quia ſic velit hoc, ut poſſit velle ejus oppoſitum, ſed quia omne quod vult appetit ad ſui ipſius imperium, quia ſic vult aliquid ut velit ſe velle illud, & ideo in actu volendi ſeipſum movet & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum: quamvis immutabiliter ordinetur ad iſtud.* Negari non poteſt, quin beati Deum liberrimè diligant, ſi rectè liberum hic definitur. Neque curavit Collega noſter probare, quod amor ille immunis ſit à neceſſitate immutabilitatis, tum quia S. Bonaventura dicit eam libertati non repugnare, tum quod naturalis neceſſitas(ſub qua comprehende neceſſitatem coactionis) ſit ſola neceſſitas propriè dicta. Denique nec agebat de libertate ad merendum & demerendum, ſed de illâ quæ omnis meriti ſit præmium.

Probandum ergò illi erat præcipuè, voluntatem beatorum ad amorem beatificum non eſſe naturali neceſſitate conſtrictam,quomodo pecora, item pueri, ſomniantes naturaliter aguntur,quomodo motibus primò primis abripimur,quia non eliciuntur ad voluntatis imperium,non ſic anima illos vult,ut velit ſe velle illos,neque etiam ad illos producendos ſeipſam movet, neque ſibi dominatur, cum in amore beatorum hæc omnia planè aliter eveniant: nam & beatus amorem illum ſibi imperat, vult amare, vult velle in æternum indiſſolubili vinculo charitatis creatori ſuo adhærere. Ergo & ſeipſum movet, & ſibi dominatur. Plus etiam aliquid collega noſter addidit explicare volens clariùs, quomodo hic amor ab omni naturali neceſſitate immunis ſit; licet enim cum S. Bonaventura ſentiat, *arbitrium non ideò dici liberum, quia ſic velit hoc ut poſſit velle ejus oppoſitum*, hanc tamen potentiam

quoddam eſſe libertatis ſignum libenter agnoſcit, ideoque ſcrutatus eſt an ſit in Beato potentia quædam ab amore beatifico ceſſandi. Talem autem reperiri probavit ex eo, quod Beatus Deum amans paratus ſit ab hoc amore ceſſare, ſi quid illi Deo melius proponeretur. Quod licet impoſſibile ſit; quia tamen voluntas actu ſaltem inefficaci, qui in agentibus naturalibus reperiri non poteſt, ferri quoque poteſt in impoſſibile, non debet paradoxum videri, quod tanquam ſignum libertatis potentia illa allegetur, cum per illam & ipſe modus tendendi in Deum clarius explicetur, & luculentè appareat non moveri Beatos ad hunc amorem lapidum pecorumve more naturali neceſſitate.

Neque illud mirùm videri debet, quod amor ille beatificus perfectione libertatis ſuperare dicatur quemcumque actum viatoris, quia ſi juxta S. Bonaventuram *arbitrium non ideò dicatur liberum, quia ſic velit hoc ut poſſit velle ejus oppoſitum, ſed quia omne quod vult appetit ad ſui ipſius imperium*, conſequens eſt non inde petendam eſſe perfectionem libertatis eſſentialem, quod homo indifferenter in utramque partem ferri poſſit, ſed inde vel maximè, quod homo perfectiori judicio, perfectiori voluntatis imperio ſeipſum moveat ad actum; ac proinde qui magis in unam partem propendet, quia evidentius in illa veri bonique rationem intelligit, licet minori indifferentiâ, perfectiori tamen libertate illum eligit. Certè quo quiſque eſt ſapientior, atque ad agendum inſtructior, eò minus deliberat; nec quia minus indifferens eſt ad agendum, minori gaudet libertate. Indifferentia ergo illa quam experimur, cum nulla nos ratio in unam partem magis quàm alteram impellit, perfectio libertatis dici non poteſt; quippè quæ tantum cognitionis vel defectum vel negationem notat, nam ſi ſemper quid verum bonumque ſit clarè videremus, nunquam deliberaremus, quid judicandum vel eligendum foret; atque ita quamvis planè liberi, nunquam tamen indifferentes eſſemus. Quod cum Beatis accidat, qui illud incommutabile & incomprehenſibile bonum clariſſimè intuentur, ſine ulla indifferentia perfectiſſimâ libertate Deum diligunt.

Porrò licet hæc ita dicantur de libertate amoris beatifici, non ideò largiemur, aliam ac planè diſparem in viatoribus non dari. Planè confitemur, & experientiâ ipsâ evidens eſt, veram in viatore dari indifferentiæ libertatem tam ad bonum quàm ad malum; ſed hoc unum dicere intendimus, quod ſicuti charitas patriæ perfectione excedit charitatem viæ, ita quoque libertas patriæ excedit libertatem viæ; ac inſuper ſicuti firmitas illa ac immutabilitas amoris beatifici illum ab amore viatoris eſſentialiter non diſtinguit, ſic nec illa libertatis viæ indifferentia eſſentialiter facit hanc à libertate patriæ diverſam; neque dubitamus tantam eſſe diſparitatem inter libertatem viæ & patriæ, quanta eſt inter charitatem viæ & patriæ.

Hæc tamen omnia Auctor Theſis nuperrimæ confundit. *Non relinquit*, ait de Collega noſtro, *in actibus noſtris majorem, quin & minorem libertatem à neceſſitate, quam ſit in amore beatifico, à quo tamen cenſet beatos ceſſare non poſſe niſi ſub conditione impoſſibili, ſi quid Deo melius proponeretur.* En tricas: caudam capiti, ſuprema infimis inani hallucinatione conjungit. Agnovit quidem Collega noſter perfectiſſimam in amore beatifico libertatem; eam dixit charitatis in via liberè exercitæ eſſe præmium, ſed nuſquam ſomniavit, nedum dixit, aliam in ſtatu naturæ lapſæ libertatem non relinqui. Pari jure ſi quis charitatem patriæ ſuprà charitatem viæ miris extuliſſet elogiis, idem Auctor poſſet inferre, non aliam reperiri veram charitatem in via quàm in patria. Relicta planè eſt illa libertas in ſtatu naturæ lapſæ, quam cum univerſa ſchola Thomiſtica unanimi conſenſu noſtri admiſere majores, libertas ſcilicet indifferentiæ, libertas non tantùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate.

An

§. 4.

An talem libertatem ad eliciendos actus, fidei, ſpei, & charitatis habeat homo omni Dei adjutorio & gratia ſupernaturali deſtitutus.

HIc iterùm ſui obliviſcitur Author Theſis nuperrimæ,ſi tamen dicendus eſt ſui obliviſci, qui ſibi ſemper ſimilis ſimili ubique modo imperitis illudere pergit. Non ceſſat Collegam noſtrum exagitare, eique perpetuo objicere quod homini lapſo, etiam dum urgent fidei, Spei, Charitatiſque præcepta ſæpè gratiam negari concedat, cum tamen ſine gratia impleri illa non poſſint. Hâc doctrinâ præceptorum impoſſibilitatem induci, & libertatem deſtrui, vel ſi potentia ad credendum, &c. in illo quoque agnoſcatur, qui gratia omni deſtitutus eſt, Pelagianiſmum aſſerit ſtabiliri. Repetita ſunt illa ſæpius, & ſi Deo placet, hæc puncta controverſiæ caput continent, hæc eſt Collegæ noſtri hæreſis. Quaſi ille novum hic aliquid & paradoxum finxiſſet, qui tritiſſima Thomiſtarum Majorumque noſtrorum dogmata propugnavit. Cui hactenus pertinaciter hoc unum fuit oppoſitum, quod ſufficientem gratiam, quam explicare piaculum eſt, admittant Thomiſtæ; nos verò & gratiam ſufficientem Thomiſticè libentiſſimè explicamus, ſic explicatam libentiſſimè admittimus, quamquam illam malimus dicere excitantem; falliturque non parum ſi quoties inſtat præceptum Fidei vel Charitatis, eam ſemper homini lapſo juxta Thomiſtas dari arbitretur. Ergo hìc iterùm patet clariſſimè, quomodo non ceſſet alterâ manu Thomiſtis eripere, quod unâ manu largitur, voce verbiſque illos abſolvendo, & re ipsâ damnando. Subſcribit Collega noſter, ſubſcribunt Thomiſtæ omnes, ſubſcribimus & nos huic Majorum noſtrorum doctrinæ pag. 227. num. 177. juſtif. Cenſ. *Vt homo poſſit converti, non requiritur ut habeat gratiam ſufficientem eo ipſo tempore, quô poſſe dicitur, ſed ſatis eſt ſi habere illam & obtinere, quæ ſufficiet, poſſit, quomodo homo dicitur poſſe manducare panem, cum panem non habet, neque etiam quidquam undè ſibi comparet. Vndè etiam dicitur videre poſſe, qui non habet lucem,ſed in tetrum carcerem conjectus eſt, quamvis ſine luce viſurus ſit nunquam.* Arroſit aliquando ſimilitudinem hanc Auctor Theſis nuperrimæ; tyrannicum enim arbitrabatur cæco præcipi viſionem, non intelligens quo hæc ſimilitudo tendat, quemadmodum nec ſcopum ſimilitudinis impetûs ſine motu eum percepiſſe ſuperius vidimus,dum ex illa perperàm intulit,non aliam in homine gratiâ prævento reſiſtentiam juxta nos dari,quam ſit in corpore gravi reſpectu motûs.Quidquid ſuperius ad cavillationem hanc confutandam eſt dictum, pro hac dictum puta. Ut ergo omnis verborum æquivocatio tollatur, *attendendum eſt*, inquiunt Majores noſtri, *cum dicitur neminem poſſe converti ſine gratia, illud ſine gratia vel ad poſſe, vel ad converti adjungi vel referri, quamvis poſterius longè ſit uſitatius.*

Siquidem communiter dicimus neminem converti poſſe ſine gratia, eo quod converſio ſine gratia nunquam ſit, licet, gratiâ quoque abſente, non deſit ipſum poſſe converti. Quemadmodum nemo poteſt credere ſine fide, etſi credendi Facultas eis inſit, qui non credunt. Notandum interim illud quoque; potentiam credendi vel convertendi ſeſe æſtimari dupliciter, ſemel ex ipſa liberi arbitrii in utramque partem flexibili Facultate, quomodo eſt potentia in homine gratiâ deſtituto, ſemel ex præſentibus viribus ſatis efficacibus ad fidem & converſionem, juxta quem modum quidam dicuntur non poſſe credere aut ſequi Dominum, ſicut dictum eſt Petro, non potes me ſequi modo; & aliis: quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? Et iterum; non poterant credere, quia dixit Iſaias; excæca cor populi hujus. Poterant ergo illi credere per flexibilem quidem liberi arbitrii in bonum facultatem, non poterant autem per eas vires, ſeu affectus quos habebant in præſentia. Poterant per remotam ut dici conſuevit, potentiam, non poterant per propinquam. Illa de natura ſurgit, hæc competit per gratiam. En doctrinam Thomiſtarum & hujus Facultatis unanimi conſenſu probatam,ob quam Theſibus pluribus Collegam noſtrum tanquam Pelagianum inſectatus eſt; ſcilicet VÆ TIBI, VÆ NIGRÆ DICEBAT

CACABUS OLLÆ. Seriò rem agi imperitus cogitaret, adeò imperfrictâ fronte hæc urget, quaſi ignoraret ipſiſſimam eſſe Thomiſtarum doctrinam, & ipſum quoque loquendi modum veteribus fuiſſe familiarem; *nam & Auguſtinus*, inquiunt Majores noſtri, *fidem in noſtra poteſtate eſſe docet lib. de ſpir. & litt. cap. 30. & tamen Cæleſtinus Pontifex, in epiſtola quam pro Hilario & Profp. ſcripſit, dicit in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & potentiam perdidiſſe. Rurſus Fulgentius docet, hominem naturaliter poſſe credere, in eo quod naturam habet credulitatis fideique capacem, & tamen gratiæ dono credendi virtutem recipere quam amiſit.* Ex quibus illud rectè intulerunt; quod ſit *poſſe quoddam per naturam omni etiam gratiâ deſtitutam propter liberum arbitrium in utramque partem flexibile, & eſt poſſe per gratiam, quando jam naturæ libertas divinis adminiculis adjuvatur:* Tyrombus notum eſt, quod neque Auguſtinus neque Auguſtini Diſcipuli de prima illa & remota bene agendi potentia cum Pelagio certaverint, cum & ipſe Auguſtinus ejuſmodi naturalem & credendi & amandi potentiam in homine quoque lapſo omni gratia deſtituto libenter agnoverit.

Sed non capit Auctor ille, quomodò Collega noſter tam liberaliter aliàs hanc bene agendi agnoſcens potentiam, in noviſſimis Theſibus tantam ad credendum, amandum, declinandum à peccatis, pœnitendum prout oportet, impotentiam fateatur. Recurrit idcircò ad Apoſtolicam Sedem, cui ſic exponit difficultatem ſuam: " Cum ſumma juxta hunc Au-
„ ctorem ſit impotentia ad declinandum à peccato, ad bene agendum, ad pœnitendum
„ prout oportet, ad perſeverandum prout oportet ſi deſit gratia per ſe efficax, neque ea
„ detur omnibus dum urgent præcepta ſupernaturalia, quæritur à S. Sede, an non ſit vera
„ juxta doctrinam hujus Auctoris 1. inter 5. damnatas: ALIQUA DEI PRÆCEPTA &c.

Parcere poterat illi labori, neque opus erat coram Apoſtolica Sede illa repetere, quæ fortiùs nervoſiùſque, oblato Sanctitati ſuæ libello, Patres Societatis Romæ objecerunt Patri Lemos, cujus doctrinæ hâc in parte ante ſubſcripſimus, cauſæque exitum libenter præſtolabimur caſuri cauſa pariter, ſi Thomæ Lemos doctrina illo memoriali accuſata reprobetur. Intereà tamen noſtram cum Thomiſtis concordiam ſtabilire non ceſſabimus.

Certum eſt quod Thomiſtæ nobiſcum admittant naturalem quandam ante gratiam benè agendi potentiam; eandem quoque ad pœnitendum, credendum, diligendum ſine gratia impotentiam fatentur juxta ea quæ ſæpiſſimè tradit P. Lemos. Ut pauca è pluribus proferam, quæ lib. 4. p. 2. tract. 3. cap. 10. & ſequentibus docet, unum hunc locum Auctori noſtro propono, ſuper quo ejus libenter expecto judicium. Quid cenſet de hac ejus doctrina l. 4. part. 2. n. 168. " Deus non tribuit omnibus in univerſum hominibus, nullo
„ dempto, intrinſecum & ſufficiens auxilium ſupernaturale ad implenda præcepta natu-
„ ralia, quæ ſuppoſito peccato impleri non poſſunt ſolis naturæ viribus, etiam cum inſtat
„ adimpletio præcepti. Similiter nec omni homini tribuit auxilium, ut peccata poſſit
„ evitare. Itaque non omni puero venienti ad uſum rationis datur tale ſupernaturale in-
„ trinſecum auxilium ſufficiens ut ſe convertat in bonum rationis, ſed quibus datur, mi-
„ ſericorditer datur, quibus autem non datur, in pœnam peccati non datur, ſaltem ori-
„ ginalis. Concluſio iſta eſt S. P. Auguſtini & S. Thomæ non obſcura ſententia. Simili-
„ ter & S. Proſperi.

Si aſſertionis hujus cenſuram non petit à Sede Apoſtolica auctor ille, nobis non adverſatur; ſi petit, videat quibus parſuadere poterit, quod Thomiſtarum doctrinam ab omni cenſura judicet immunem. Refutata ſunt ſuperius alia, quæ in eadem ſupplica coram Apoſtolica Sede nobis opponit. Confutationem non merentur novam illa, quibus dogmatum ſuorum cum Semipelagianis affinitatem diluere conatur. Tractârunt hanc quæſtionem nuperrimè & Collega noſter in Theſibus & Vincentius Contenſon tom. 5. p. 387. ſi quid illis oppoſuerit (quod hactenùs non præſtitit) novâ confutatione dignum, non deerit qui cauſam illorum ſuſcipiat.

At ſi quid ejuſmodi tentetur, doctrinam ſuam Cenſuris perſtringi mox clamat; imme-
or ſcilicet, quid de Thomiſtarum doctrinâ ſcripſerunt dixeruntque ejus Collegæ; quo-
m memoriam cum non ita pridem Patri Fourmeſtraux Philalethes refricaſſet, generoſiſſ
: reſpondit pag. 70. *De te non querimur, quod probare contendas, ſcientiam mediam eſſe riſti gratia inimicam, Deum libero hominis arbitrio ſubjacere, eandemque videri cum doctrina mipelagianorum. Probationes tuas placidis oculis legimus, calamo diluimus.* Cauſæ ſuæ ma-
s videtur diffidere Auctor noſter, qui eſt tam delicatulus.

§. 5.

De mente S. Franciſci Saleſii.

NOn poſſe probari Leſſii doctrinam de prædeſtinatione ex prævifis meritis, ob quam, teſte Henriquez Theologo Societatis, temeritatis ille ſuæ acrem tulit reprehenſionem Sixto V. Auguſtini doctrinam, id eſt, vetus Romanæ Eccleſiæ depoſitum, vindicante confirmante more Majorum ac Prædeceſſorum ſuorum, qui non ſemel, ſed ſecundò & rtiò pro Auguſtino & prædeſtinatione gratuita tulêre ſententiam, §. 8. Theſis primæ im Bellarmino evicimus. Neque cavillari hic quiſquam poteſt incertum eſſe hactenus, uænam ſit Auguſtini doctrina; illum enim coarguet ſuperiorum ſæculorum conſenſus, uibus ante motam Lovanii cum Leſſio Hamelioque controverſiam de Auguſtini mente ruditi non dubitârunt. Non dubitavit Cardinalis Bellarminus, non ſelecti è Societate niverſa præſtantiſſimi Theologi, non Catharinus, non Pighius, non S. Franciſcus Saleus, non ipſe Leſſius antequam Lovanienſis Schola & populorum offenſio vela illum verre coegiſſent; non dubitârunt, inquam illi, quin hæc eſſet Auguſtini de prædeſtinaone doctrina, licet alii ex illis Auguſtino ſubſcripſerint, alii repugnârint. Cæterum quam ericuloſum ſit huic Auguſtini repugnare ſententiæ, inde conſtat juxta Cardinalem Bellarinum l. 2. de grat. & lib. arbit. c. 11. *Quod Gelaſius Papa in Concilio 70. Epiſcoporum non lum probavit omnia ſcripta S. Auguſtini & Proſperi, ſed etiam contra damnavit libellos Ioannis aſſiani, & Fauſti Rhegienſis, cum tamen non ignoraret potiſſimam contentionem inter Proſpem & Caſſianum, ac deinde inter Fulgentium & Fauſtum de ſcriptis S. Auguſtini de prædeſtiatione SS. & bono perſeverantiæ fuiſſe, ut propterea ſententia* (de prædeſtinatione gratuita) *on quorumvis opinio, ſed Eccleſiæ Catholicæ fides dici debeat.* Neque Auguſtino tantum ſed tiam cap. ſequenti *non dubium eſſe* dicit *Apoſtolo repugnare ſententiam illorum, qui electionem lvandorum merè gratuitam negant.* Secutus eſt Bellarminus Societatis Theologos anno 584. à Claudio Aquaviva è variis Provinciis Romam evocatos, ut rectam rationem initutionemque ſtudiorum uniformiter deinceps à Societate ſervandam conciperent atque ormarent. Sic enim illi, teſte Henrico Nooris, de hac quæſtione ſanxerunt in illa libelli parte, quâ de opinionum delectu agitur pag. 37. *Definitum eſt prædeſtinationis nec rationem nec conditionem eſſe ex parte noſtra. Id ad pietatem parum pertinere dicet aliquis. At hanc uguſtini doctrinam non modo communiter Theologorum Schola jam recepit, ſed & Eccleſiæ Paes per mille & ducentos circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis & reſponſis ontificum Romanorum, nempè Zoſimi, Sixti, Cœleſtini, Leonis, Gelaſii, apud quos Maſſienſes, Caſſianus, Fauſtus, aliique hujus prædeſtinationis Oppugnatores male ſemper audierunt.*

Certum ergò ſit, quod Bellarminus & delecti illi Patres, id eſt, præcipua Societatis umina, doctrinam de prædeſtinatione gratuita tunc Auguſtino adſcriberent. Ægrè patitur Auctor noſter tamdiu differri, quod jam inſinuavi, nempè ipſum quoque S. Franciſcum aleſium hanc Auguſtino adſcripſiſſe doctrinam. Miratur, hæret, non credit. Neſcio taneu an ſententiæ noſtræ non accedet, ſi conſulat epiſt. ejus 61. lib. 1. in qua hæc repeiet: *En celle* (queſtion) UTRUM PRÆDESTINATIO SIT EX PRÆVISIS MERITIS, *ſoit que l'on*

tienne

tienne l'opinion des SS. Peres, qui ont précedé S. Ambroiſe, ſoit qu'on tienne celle de S. Auguſtin, ou de S. Thomas &c. Ex quibus erui poſſe cenſeo antiquitatem, quam in epiſtola ad Leſſium adſcribit ejus ſententiæ de prædeſtinatione ex prævisis meritis, in quam videtur fuiſſe propenſior, licet oppoſitam agnoſcat eſſe Auguſtini; ex ipſis enim epiſtolæ ſexageſimæ primæ terminis eſt evidens, opinatum fuiſſe S. Saleſium, quod alia eſſet Auguſtini, alia Patrum qui Ambroſium præceſſerunt, ſententia, adeo ut ſi dicatur, Patres qui Ambroſium præceſſerunt, prædeſtinationem aſſeruiſſe ex prævisis meritis, dicendum ſit Auguſtinum id ipſum negaſſe, & ècontrà. Nemo autem tam hebes, tam omnis melioris ſensûs expers hactenus inventus eſt, qui ſuſtinere voluerit Patres omnes ante Auguſtinum prædeſtinationem docuiſſe gratuitam, ipſum verò Auguſtinum prædeſtinationem ex prævisis meritis docere cœpiſſe; quamquam non defuerint nonnulli, & ipſe inprimis Leſſius, qui aliis ante Auguſtinum Patribus, maximè Græcis, illam adſcripſerint. Maſſilienſium quoque Presbyterorum hic fuit Achilles, quem, Proſpero teſte, ſemper Auguſtino opponebant, quod *in ejus ſcriptis, quæ adverſus Pelagianos condiderat, contrarium eſſet Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundum propoſitum diſputârat. Ea quoque quæ de epiſtola Pauli ad Romanos ſcribentis ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferebantur, à nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta*, ut volebat Auguſtinus, affirmabant. Si ergò concedendum eſt, quod & ipſe non obſcure S. Saleſius fatetur, quod ſuam de prædeſtinatione doctrinam aliunde, quam ex Auguſtino hauſerit, vitio mihi verti non poteſt conjectura, quâ piè ſuppoſui, doctrinam illam depromptam eſſe ex illis Auguſtini Diſcipulorumque ejus Adverſariis, qui præ cæteris pietatis laude claruerunt; quam conjecturam ipſùm nunc S. Franciſci Saleſii teſtimonium confirmat, dum ex illo patet, quod ob idem planè motivum (Religioſæ nempè in Patres, qui Auguſtinum præcedebant, reverentiæ) in hanc ſententiam propenderit, propter quod & olim eam Presbyteri Maſſilienſes amplexi ſunt.

Verùm Patrum illorum authoritatem doctrinæ ſuæ obeſſe poſſe non credit Auguſtinus ſic refellens petitum inde argumentum cap. 14. de prædeſt. SS. *Quid opus eſt eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili quæſtione verſari? Quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Unde factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam Scriptorum ſuorum locis & tranſeunter attingerent.*

Illud ergò maximè curandum eſt, ne ſub caligine conſtitutus ille credatur, qui tam operosè, universâ applaudente Eccleſiâ, hanc quæſtionem elucidavit, libertimèque c. 19. de bono perſeverantiæ pronuntiavit: *Hæc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe* Viderint ergò quâ fronte Molina, Mariana, Petavius, Joannes Adamus, Antoninus Moraines aliique recedant ab agnita Auguſtini ſententia, quam non tantùm communiter à ſchola fuiſſe receptam, ſed & ab Eccleſiæ Patribus per mille & ducentos circiter annos; apud quos Maſſilienſes, Caſſianum, Fauſtum alioſque hujus prædeſtinationis oppugnatores malè ſemper audiviſſe, ab ipſis delectis Societatis Patribus, ab ipſo Bellarmino ſuprà audivimus.

Clamat interim & invehitur contra me graviſſimè Auctor Theſis nuperrimæ, eo quod non potius S. Franciſci Saleſii (qui & tranſeunter tantum hanc aliquando quæſtionem attigit, & Auguſtino ſe repugnare fatetur) quam Auguſtini Patribus accedam: ſed accedere vetat duodecim ſæculorum unanimis conſenſus, qui Auguſtino adhærendum eſſe clamat. Clamet ille contrà quantum libuerit; illos ego clamores facilè ipſi ignoſcam; nam & in ſupremis quibuſdam curiis impotenti animo eorum, qui causâ ceciderunt, clamores & invectivas ejuſmodi, pauculis ſaltem diebus, æquiſſimi Judices facilè indulgere ſolent.

§. 6.

Quis ex his diſputationibus fructus ſperari poſsit?

SPerari poſſet non exiguus, niſi Adverſarii noſtri latebras quærere, & controverſiæ caput declinare viderentur. Elucidaretur controverſiæ ſtatus, omnibus innoteſceret, a quo præcisè quæſtionis cardo vertatur, denique litterario hoc certamine ad maturitaem, productis hinc inde argumentis, diſputatio perveniret, adeò ut Sedis Apoſtolicæ judicium tantùm expectandum eſſet. Fallor, ſi quæſtionis ſtatum aliâ Theſi non expoſui larisſimè. Verbulo monitus, ſi quid obſcurius dictum fuerit vel explicabo vel emendabo. Eundem candorem in noſtris Adverſariis hactenus deſideramus. Riſum meretur, quod tota ferè quæſtio hactenus in eo verſari viſa eſt: *An præter gratiam efficacem admittenda ſit alia verè ſufficiens*, neque tamen definire Adverſarii voluerint, quid ſit illa gratia ſufficiens Thomiſtica, quâ admiſsâ, ab omni Cenſuræ periculo nos eximunt.

Quod ad nos attinet, quid per illam intelligamus, diximus non ſemel, dixit Collega noſter, dixi & ego; ipſis Thomiſtarum verbis illam definivimus; neque quicquam haſtenus explicationi noſtræ Auctor Theſis nuperrimæ oppoſuit. Hoc unum cucullino more recantare pergit, admittendam eſſe gratiam ſufficientem, ſolicitè tamen cavens ne unquam vel illam definiat, vel rectè à nobis definitam eſſe concedat. In hac voce, Auxilium sufficiens, in hoc termino (quem explicare non audet) fixiſſe videtur Hercules noſter ſapientiæ Fideique ſuæ columnas, illiſque inſcripſiſſe, Non plus ultra. Si ultrà progredi non lubet, fruſtra cum eo diſputamus; ſin lubet, definiat ergo, quæ ſit illa gratia ſufficiens Thomiſtica, quam in hoc ſtatu naturæ lapſæ nos admittere neceſſè eſt; neque enim putamus quod ſecundæ propoſitionis cenſuram ad gratiam primi ſtatûs extendere perget. Melius honori, melius Moliniſmo ſuo conſulet. Videri tunc facillimè poterit, quid elucidandum ſuperſit.

Certè ſi tam facilè determinari poſſet, quis ille præcisè ſit ſenſus, quem Innocentius X. & Alexander VII. ſuis Conſtitutionibus voluêre damnatum, omnes breviſſimè intenderemus animi nervos, ut noſtram à damnata ſecerneremus doctrinam; verùm cum per hanc quæſtionem novas quotidiè ſuſcitari diſcordias, neque Moliniſtas in aſſignando ſenſu damnato cum Thomiſtis (quorum doctrinam in Thoma Lemos eſſe hâc conſtitutione damnatam contenderunt nuper coram Apoſtolica Sede) neque inter ſe convenire, & ſenſus tam paradoxos, tam heteroclitos articulis illis affingi videamus, ſatis intelligimus intricatiſſimam hanc controverſiam ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate non poſſe componi. Brevior illa via eſt & facilior apud æmulos noſtros (cum Apoſtolicæ Sedi probatam illam fuiſſe confiteantur) ſi doctrinæ noſtræ cum Thomiſtica demonſtretur conformitas. Nos id & alia Theſi præſtitimus, & hâc uberius confirmavimus, quinque articulos eodem, quo Thomiſtæ, ſenſu damnavimus, eodem, quo illi, modo cum doctrina noſtra conſtitutiones Pontificias conciliavimus; neque è Thomiſtis quemquam hactenus reperimus, qui has Cenſuras ad gratiam naturæ integræ extenderet.

Verùm non in hac tantùm controverſia, ſed & aliàs ſæpius experti ſumus, Adverſarios noſtros ægerrimè, quantumvis evidenter probatæ cedere veritati, & indeſinenter urgere ea, quæ pleniſſimè confutata ſunt. Exemplum recens ſubminiſtrat Appendix mihi nuper oppoſita. Vix capio, quâ fronte in illa dicatur, manifeſtè fuiſſe ab ejus Auctore oſtenſum, quod Facultas Sacræ Theologiæ Lovanienſis in antiqua doctrina non perſtiterit uſque ad annum 1613. Neſcio an melius id capiet ullus cordatus Lector, qui rei geſtæ ordinem hîc breviſſimè exponendum non gravabitur expendere.

Certum eſt illud imprimis Cenſuram Lovanienſem ipſo, quo edita eſt, anno Epiſcoporum Belgii ſubſcriptione fuiſſe firmatam; neque vel ipſi Societatis Patres ignorant, Ipren-

ſem

ſem Epiſcopum , qui cæteris magis fuerat cunctabundus ; inſtante Mechlinienſi Archipræſule , circa finem Decembris ſuam & Theologorum Eccleſiæ ſuæ miſiſſe ſententiam Cenſuræ Lovanienſi conformem. Mox anno ſequenti 20. Januarii acceſſit Facultatis Duacenſis judicium ab Illuſtriſſimis Mechlinienſi , Cameracenſi, Gandenſi poſtulatum. Cæteri quoque cum illis jam nominatis Belgii Epiſcopi eodem anno cenſuræ juſtificationem contra Patrum Societatis Apologiam à Facultate Lovanienſi conſcribi voluerunt. Doctorum omnium calculo coram Apoſtolico Nuntio fuiſſe probatam §. 4. Theſ. hiſtor. demonſtratum eſt. Omnibus Epiſcopis , omnibus Doctoribus certum erat promulgatum Calatini decretum pro aliquo ad hanc controverſiam præjudicio valere non poſſe. Pari itaque conſenſu doctrinam illam tueri perrexerunt , Lovanienſibus ſemper ſollicitè caventibus ne , contra Nuntii Calatini decretum , oppoſitam doctrinam invectivis & acrioribus verbis perſtringerent.

Adverſariis notum eſt,quanti annis pluribus in Duacenſi Academia perſtrepuerint motus poſt editam Cenſuram,cujus æquitatem ſic propugnavère Doctores coram Reverendiſſimis Epiſcopis Tornacenſi & Attrebatenſi , qui hos componere motus volebant , ut inhiberent Societatis Patribus , ne doctrinam ab illa Facultate rejectam in Academia Duacenſi docerent,donec per ſedem Apoſtolicam quæſtiones exortæ terminarentur.Voluit tamen paulò poſt Apoſtolicus Nuntius utriuſque opinionis aſſertoribus ſentiendi ac docendi manere libertatem , non quod Eccleſia Romana propenſior eſſet in partem Facultati contrariam , ut conſtat ex ſententia Sixti V. & Bellarmini de prædeſtinatione , ſed ne exulcerati Patres Societatis graviores motus excitarent.

Vigilarunt eodem tempore Lovanienſes , ne quid Romæ contra Cenſuram ſuam tentaretur , datiſque anno 1593. in Julio ad Cardinales S. Severinæ & Madruccium litteris contra novos æmulorum conatus eam vindicàrunt. Benigniſſimo illos reſponſo dignatus eſt Cardinalis S. Severinæ Inquiſitionis præſes , ut acta noſtra teſtantur.

Hâc iterum Duaci excitatâ controverſiâ circa annum 1609. Facultatis cauſam ſibi deſponſavit Eſtius , & veterem tam hujus quam Duacenſis ſcholæ doctrinam expoſuit oratione famoſâ ſæpius memoratâ. Idem præſtitit de mandato Facultatis Rythovius oratione ſimili. Teſtis horum oculatus fuerat Franciſcus Sylvius , qui anno 1648. cum cæteris Facultatis Duacenæ Doctoribus declaravit Facultatem illam ſemper tenuiſſe,& etiamnum tenere,ſemper perſtitiſſe & etiamnum perſiſtere in ſua antiqua ſententia , quam in Cenſura tenuit & ibi declaravit , nec unquam ab illa diſceſſiſſe.

Verba ſunt ſimilis planè declarationis , quam anno 1613. ediderat Facultas Lovanienſis, tribus adhuc viventibus Doctoribus, Jacobo Baio, Janſonio, Loyaerts , qui Superiori ſæculo Cenſuræ ejuſque juſtificationi ſubſcripſerant. Dicendi ſunt illi apertè mentiri ſi à majorum doctrina unquam diſceſſerint, qui tam manifeſtè ſe nunquam ab ea aſſerunt diſceſſiſſe.

Sed ab hac tam nefaria labe eos vindicat ſæpius iterata Adverſariorum confeſſio,editi ab illis Doctoribus libri , aliaque monumenta quæ omne dubium ſuperant.

Illud de Janſonio certum eſt, nihil hactenùs adeò fuiſſe inter Adverſarios pervulgatum, quam Janſonium præcipuum fuiſſe illius Cenſuræ vindicem , à quo in alios plures illius tuendæ zelum fuiſſe derivatum affirmant. Nempè manet altâ mente repôſtum , inſtitutam olim contra Patrum Societatis dogmata lectionem Janſonio fuiſſe commiſſam, de qua ita imago primi ſæculi : *Lectio publica extra ordinem adversùs Leſſii doctrinam inſtituta non ſinebat obduci cicatricem , ſed erat anguis in vulnere , noſtramque ignominiam perpetuò refricabat.*

Noverunt etiam (quod & nos authentico teſtimonio probabimus) in præfatione Leſſii *de gratia efficaci* notari Janſonium , tacito licet nomine , adeò à Molinæ dogmatibus fuiſſe alienum , ut ſuis edixerit ſi apud aliquem eorum opus Molinæ de iſtis materiis reperiſſet , ſe illud conjecturum in ignem.

Joannes

Joannes Maſius, poſtea Abbas Parcenſis, in ejus vita commentariis in Joannem præfixa hæc de illo poſteritati tranſmiſit: *Omnia Auguſtini opera non tantum attentiſſimè volvit & revolvit, ſed & pro plurima parte memoriter tenuit, ac ejuſdem doctrinæ, potiſſimum quam diſertiſſimè de prædominante gratia tradidit (ſalvo ſemper S. R. Eccleſiæ judicio) inhærere ac immori geſtivit, uti & immortuus eſt.* Neſcio cui credent, qui neque Janſonio de ſe aſſerenti anno 1613. neque receptæ hactenùs apud ſe traditioni, neque tam Religioſo vitæ ejus auctori credere voluerint. Fruſtrà repeterem aliàs prolata è libris editis Jacobi Baii & Samuelis Loyaerts teſtimonia, in quibus apertè declarant ſe in veteri, cui & anno 1587. & 1588. & 1613. ſubſcripſerant, doctrina perſiſtere, quibus ne reſpondere quidem tentavit hactenùs Auctor noſter.

Quis ergo ferat teſtimoniis ita luculentis, ex quibus de ipſorum Auctorum ſententia clariſſimè conſtat, Theſes quaſdam, quibus præſederunt, opponi, ut indè certius, quam ex libris & apertis declarationibus eorum ſententia eruatur? Maximè cum idem argumentum è Theſibus petitum, viventibus adhuc Theſium præſidibus, fuerit oppoſitum & ſolutum, dicente contra Deckerium hoc urgentem Rythovio; *Neque ignorat vel lector ipſe reſpondentes contraria ſententiis præſidum ſuorum variis occaſionibus defendenda ſuſcipere.*

Sic Lovanii contigit in Jacobo Baio, Janſonio, Loyaerts, Fabricio, quorum ferè Theſes proferuntur; niſi probabile videatur præſtantiſſimos illos viros tam ſui fuiſſe oblitos, tam famæ ſuæ prodigos, ut mendacio adeò palpabili illudere ſperaverint orbi terrarum, vivente Leſſio, viventibus ſtudioſis, qui Theſes citatas defenderant, viventibus denique ipſis illis qui rumores, contra quos hæc declaratio dirigebatur, per Italiam Hiſpaniamque diſperſerant. Mentiuntur ſpecioſiùs homines non omnino abjecti, ac valdè temerarium eſt illud de integra ſuſpicari Facultate, quod de quocumque alicujus notæ viro ſuſpicari Religio vetat.

Et tamen, ſi Deo placet, Auctor appendicis manifeſtè convicit è Theſibus illis DD. Lovanienſes in veteri non perſtitiſſe doctrina uſque ad annum 1613.

Crediderat quoque in Appendice 1. Theſ. 2. ſe probaſſe, quod poſt legitimè promulgatum Calatini Decretum in doctrina ſua non perſtitiſſent Lovanienſes; ſed in appendice ſequenti vidit errorem ſuum convictus ipſâ Cenſuræ juſtificatione, quæ poſt illam promulgationem emanavit.

Pauculis ergo ſaltem diebus in iſtâ perſtitiſſe, donec Cenſuram confeciſſent, conceſſit Appendicis 2. Theſ. 4. Quaſi ex ipſâ juſtificatione, ex modo quo Apoſtolico Nuntio tradita, quo coram eodem eſt unanimi DD. omnium conſenſu approbata, obſcurum foret, non ſic illa geſta fuiſſe, ut ab illa doctrina cito recederetur. Pluribus poſt annis eam S.R.E. Cardinalibus ab ipſa Facultate fuiſſe commendatam ſuprà vidimus. Incredibile eſt, propugnantibus hanc doctrinam & Belgii Epiſcopis & Facultate Duacena, ſolam Lovanienſem quæ prima claſſicum inſonuerat, Arenâ ceſſiſſe; nec ſine temeritate dicitur eam mentiri, cum anno 1613. nullo Magiſtrorum contradicente, declarat ſe ſemper in antiqua perſtitiſſe ac etiamnum perſiſtere ſententia.

Certè, qui his deinceps pertinaciter voluerit repugnare, non convincendus erit argumentis, ſed magis orandus Dominus ut mentem illius ſanare dignetur & illuſtrare. Videbunt interim, ut confidimus, alii minus præoccupati hominum, cum quibus certamus, difficilem genium, aliſque emunctioris naris & integrioris judicii deſiderabunt, quibus credant rectè de hæreſi notari eos, qui acceptam à majoribus tuentes doctrinam Leſſii Monæq; placitis obſiſtere pari zelo pergunt, quò id pręſtabant à ſęculo Belgii Epiſcopi, utraq; Facultas Theologica, imo & omnes Religioſi Ordines, quorum nullum ad vindicanda hæc dogmata hactenùs productum vidimus; adeo ut mirandum non fuerit, in memoriali Hiſpanico eoſdem ferè omnes de Janſeniſmo nuper accuſari, qui Superiori ſæculo de Calviniſmo

niſmo inverecundè notabantur. Erubui ſæpius legens in Apologiæ contra Cenſuram Lovanienſem præfatione ſcribere non fuiſſe veritos illius Auctores, Doctrinam de prædeſtinatione gratuita adeo Auguſtini non eſſe, ut Calvini ſit potiùs, qui falsò eam Auguſtino imponat.

Cumque aliàs ſæpè fuiſſem miratus, amplius mirari non potui liberam dogmata noſtra carpendi licentiam iis familiarem eſſe, qui hæreditario jure illam acceperant à majoribus tali Cenſurâ doctrinam perſtringentibus, quam tot Belgii Epiſcoporum, & Theologorum Doctiſſimorum ſubſcriptione, tot Religioſorum ordinum approbatione munitam eſſe non ignorabant. Hanc Majorum ſuorum procedendi rationem aliquando probant, aliquando improbant æmuli noſtri. Serviendum tempori putant. Extremæ neceſſitati, quam tunc patiebantur Apologiæ Auctores, indulgendum aliquid arbitrantur. Eâdem carpendi libertate vel ipſi vel eorum confœderati utuntur, ſicubi pauci fortè ſint, qui de controverſiæ ſtatu penitiùs inſtructi illorum poſſint conatibus obviare; ut didicimus ex Memoriali Hiſpanico, quo præcipuos cujuſque ſtatûs ac conditionis Belgas in Janſenianæ hæreſis ſuſpicionem vocare apud Hiſpanos voluerunt. Alibi verò temperandum ſibi putant. Pauculos tantùm, quos ſibi præ cæteris adverſari putant (licet alii plurimi eandem propugnent doctrinam) exagitare malunt, ne ſi omnium ejuſdem doctrinæ ſectatorum exulcerent animos, tantorum virorum auctoritati doctrinæque ſuccumbant.

Illius induſtriæ hæc noſtra diſputatio præbet exemplum, ex quâ patet ab Adverſariis tantoperè hujus Facultatis divexari doctrinam, præteritis Thomiſtis, qui in punctis, de quibus quæſtio eſſe poteſt, Cenſuræ & Juſtificationis doctrinam laudant probantque, ut luculentis eorum teſtimoniis probatum eſt. Si hoc Cordatis perſuaſum fuerit Lectoribus, præcipuum conſequemur fructum, quem ex hac diſputatione ſperamus.

IMPERTINENS.

NIhil invidioſiùs, *inquit Vincentius Contenſon*, ſententiæ Thomiſtarum opponunt Adverſarii, quam noſtram de prædeſtinatione & gratia ſententiam in Prædeſtinatianis quinto ſæculo fuiſſe damnatam. *Credit vir Clariſſimus Gilbertus Mauguin, credit laudatus Contenſonius, credidit in litteris ad Duacenſes anno* 1648. *datis Facultas Theologica Lovanienſis, nullam ejuſmodi hæreſim ſæculo V. extitiſſe.* Semipelagiana fictio, *inquit Lupus in Tertull. pag.* 15. prædeſtinatianæ hæreſeos fabulam intruſit in mundum. Ita prius de Auguſtino ac poſteà de ejus Diſcipulis perrexit diù mentiri. *Si ejuſmodi in Eccleſia fuerit olim hæreſis, mirum eſt apud ſolos Semipelagianos veterem illius extare memoriam. Moniti ſumus jam pridem à majoribus noſtris profundam Fauſti vitare calliditatem; viderint alii ſitne aliter ipſi à primis Molinæ vindicibus inſtructi.*

FINIS.